Nos Johannes dei gratia Boemie Rex ac Lucemburgensis comes Notum facimus tenore presencium universis Quod pen-
santes grata fidelitatis obsequia que fidelis noster Johannes de Kungespruk civis Budissinensis nobis exhi-
bere studuit et volentes in eisdem ipsum promptiorem reddere sibi de munificencia Regia hanc specialem graciam
duximus faciendam Videlicet quod in villa Bork quatuordecim marcas redditum et in villa Brezin Un-
decim marcas cum dimidia redditum cum omnibus earundem iuribus et pertinenciis Vxori ipsius Johannis
nomine dotalicii quod wlgariter Leipgeding dicitur et pueris suis utriusque sexus filiis et filiabus in heredita-
te eo iure feodali quo eas ipse Johannes tenuit et possedit damus concedimus et donamus. Ut eas
post mortem ipsius Johannis tenere et possidere debeant sine impedimento quolibet pacifice et quiete. Commit-
timus igitur Illustri Karolo Marchioni Moravie primogenito et carissimo nostro heredibus ac Successoribus. Et man-
damus omnibus advocatis officialibus et fidelibus nostris presentibus et futuris Quatenus predictos fideles nostros in huius-
modi nostre donacionis gracia non impediant nec sinant quempiam impediri. Sed pocius in ea manuteneant
et contra quoslibet eos impedientes ipsos protegant et defendant. Siquis vero ausu temerario huic nostro
mandato contraire presumpserit indignacionem Regiam et dne centum marcarum dispendium se noverit incur-
surum. Harum quibus nostrum maius Sigillum appendendum duximus testimonio literarum. Datum Prage in die
beatorum Felicis et Aucti martirum Anno domini Millesimo Trecentesimo Quadragesimo primo.